

się communi audientia plenius prestante domino pertractetur.
Data Engolismi III idus Augusti.

21.

Papst Calixt II. heisst den Bischof Wido von Chur im Amte bleiben, und ertheilt ihm Segen und Indulgenz. Er selbst eile nach Rom und bitte ihn, Boten zu schicken; der Abt von Reichenau solle gleichfalls nach Rom kommen. (1120) April 8. Tortona.

Calixtus episcopus servus servorum dei venerabili fratri W(idoni) Curiensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut ex carissimi fratris nostri L. presbyteri cardinalis relatione didicimus, fraternitas tua multos annos in dei ecclesia fideliter et utiliter militavit. Unde non solum episcopale onus te subterfugere non concedimus, verum etiam, ut pro tua et populi tui salute amplius insistere debeas, prorsus hortamur. Benedictionem apostolicam et peccatorum indulgentiam, quam postulasti, tamquam fratri karissimo tibi mandamus. Nos per dei gratiam festinamus ad urbem et quamvis presentari te conspectui nostro vellemus, tamen ad presens id fieri posse diffidimus. Porro fideles nuntios tuos, quam cicius poteris, ad nos dirigas; abbatem quoque Augensem vel tales nuntios, qui pro eo respondeant, venire ad nos ex parte vestra¹⁾ precipias; alioquin nos eius inobedientiam ultione debita prosequemur. Data Tridone VI idus Aprilis.

22.

Papst Calixt II. befiehlt dem Bischof Wido von Chur ernstlich, sein bischöfliches Amt nicht aufzugeben. (1121) April 6. Lateran.

Calixtus episcopus servus servorum dei venerabili fratri W(idoni) Curiensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

De bona voluntate tua et devotione, quam erga matrem tuam sanctam Romanam geris ecclesiam, fraternitati tuę gratias agimus. Porro petitioni tuę, quam de²⁾ episcopalis oneris allevatione facere voluisti, nullum omnino prebere possumus vel debemus assensum. Immo quanto amplius administratio-nem hanc pro sanctę conversationis quietę conspiceris recusare, tanto instantius eam tibi ad honorem dei debemus iniungere. Apostolica igitur tibi auctoritate in remissionem tuorum precipimus peccatorum, ut episcopale ministerium sicut fidelis et deo placens minister per eius gratiam studeas exercere, quatenus viam mandatorum domini abiecta prorsus dubitatione percurrens cum apostolo dicere merearis: 'bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de reliquo reposita est mihi corona iusticię, quam reddet mihi domi-

1) nostra Hs. 2) desuper Hs.